Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1873
Quelle:
Copyright:

minica prima aduentus domini. Initium est: *Erunt signa in sole et luna et stellis &c. Luce 21. Quamuis ihesus christus in morte cujuslibet singulare iudicium secundum merita et demerita iuste exerceat. tamen quia tale iudicium nobis est occultum. et quo ad penam et quod ad gloriam imperfectum. et etiam solum respectu hominum et non demonum. ideo necesse est vniuersale iudicium omnium similiter viuorum et mortuorum in fine mundi esse futurum.* Quaevis *Postilla* in plures Partes *literales* primum, dein *morales* abit, quaevis Pars divisionibus scatet. Ita v. g. *Postilla* III. Humilitas est *boni conservatiua. Sui uilificatiua. A malo preseruatiua.* In *Jobanne Baptista* commendatur *Diuine gratie conseruacio ex testimonii ueritate. Humane sufficientie uilificatio ex nominis proprietate. A mentis turbacione preseruacio ex obprobrij humilitate.* &c. Ita similiter definentia sectabantur sacri illi Oratores ad res ope rhythmi memoriae firmius imprimendas. Locis PP. saepe utitur Noster, de temporis vero sui moribus vix quidquam adfert. Ultima *Postilla* est in *Dom. XXIV. post Pentec.* et finit: *si vultis penas eternas euadere et ad celestem patriam feliciter peruenire. quod nobis prestare dignetur* &c. Paullo plus de hoc Homileta dixi, quod eum typis nunquam vulgatum putem. Codices aliquot *mss.* indicat *Mazzuchellius Scritt. d'Ital.* T. I. p. 13. fuit enim cognomine Noster *Abati* seu *de Abbatibus*, aut *Alvatus. Waddingus* in *Scriptt. O. M.* ei etiam *Quadragesimale* tribuit, nihil tamen de illius aevo, quod teste Codice nostro saltem Seculum XIV. fuit. Popularis erat duorum *Astesanorum* Ordinis sui, neque cum illis confundendus. Habes illos apud *Waddingum*, *Mazzuchellium*, etiam *Fabricium*.

DCCLXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 112. 4. nitide exaratus et minio distinctus hac rubrica est: *Incipit opus fratris Sibotonis de sanctis per totum annum.* Videlicet a Festo D. *Andreae* Ap. usque ad Festum D. *Caeciliae* V. et M. Sermones vel potius Sermonum primae Lineae de quovis Festo sunt 2 — 5. Initium hujusmodi: *Ligauerunt Achior ad arborem manibus ac pedibus ac uinctum eum de restibus dimiserunt. Judith VI. In huius superficie hystorie quatuor uerba occurrunt ad honorem beati Andree pertinentia. que sunt digna laude. que sunt causa passionis. sanctitas uite. genus mortis. consummatio felix* &c. Ad calcem: R. 3094

Finito libro sit laus et gloria christo.
Viuat qui scripsit. Viuat qui scribere iussit.

Fol.